

primo gallice *Henrico Galliarum Regi Christianissimo huius nominis octavo* inscriptum, ac inde latine redditum adfirmat, nulla rursus aut *Vivis*, aut Versionis anterioris *Brunonianae* facta mentione. Edidit Opus istud *Vives* hispanice primum in *Anglia* adfectum latine *Brugis* 1528. 8. inscriptum *Job. Borgiae Candiae Duci*, non *Henrico Galliae Regi*, qui tunc nullus erat; quod si post a. 1547. gallice versum est, *Henricus II.* non *VIII.* dici debuit, nisi quis *Henricum VIII. Angliae* latere suspicetur. Ceterum de Versione gallica meorum tradit nemo. Editiones latinae secutae sunt *Basil.* 1538. 8. *Francof.* 1613. 8. et *Opp. omn. T. supracit.* Traductio germanica *Cph. Brunonis* eodem cum superiore *Institutione Feminae* anno lucem *Francof.* adspexit. Unum addo. Praefationem suam ita orditur *Vives*: *Cum olim de Institutione scriberem Feminae christianae &c.* Quomodo tò olim subsisteret, nisi editionem huius Institutionis *Basil.* 1538. alia praecessisset in *Belgio*, ut dixi ad praeced. Codicem?

DCCXXI.

R. 33

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 528. f. caractere crasso, atro per duas columnas scriptus, et rubricis distinctus ad vetustissimas pertinet collectiones Scriptorum *Hildegardis Virginis Antistitae Montis S. Roberti prope Bingiam*, quae annum 1178. supremum vitae habuit, cujusque

non pauca retuli superiori Volumine. Hic primum locum occupat *Liber Scivias*, dictus, ut *Fabricio Bibl. med. Lat. L. 8. p. 260.* visum, a *Sciens Vias*, vel *Sciendo, Videndo, Afferendo.* Dividitur is in III. *Partes*, quarum quaelibet in *Visiones* et *Capitula* subdividitur, et in Codice *Elenchum* praefert. Prooemium, quod incipit: *Et ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno &c.* inscriptum est minio: *Incipit liber Scivias simplicis hominis. Pretestificacio ueracium uisionum a deo fluentium.* Extat Opus istud in *Corpore Revelatt. Birgittae, Hildeg. et Elizab. Schonauig.* impresso *Coln.* 1628. f.

Fol. 147. praevio Capitum *Elencho*, qui insignitur: *Incipiunt Capitula prime partis de uiro ad orientem et ad austrum aspiciente, sequitur Liber uite meritorum per simplicem hominem a uiuente luce reuelatorum.* Parti secundae *de uiro ad occidentem et ad septentrionem aspiciente* similis *Elenchus* praefixus est, uti et tertiae, cujus evulsus est initium, et quartae *de uiro ad austrum et ad occidentem aspiciente*, unde conjicio tertiam inscribi debere *de uiro ad septentrionem et ad orientem aspiciente.* Eodem modo succedunt Pars quinta *de uiro per totum prospiciente orbem*, et sexta *de uiro se cum quatuor plagis terre mouente.* *Axiadorov* est Opus istud, cujus tamen meminit *Matthaeus Westmonast.* ad an. 1292. et *Tribemius n. 405.* perperam ejus citans initium pro initio *Libri Scivias*;

vias; Liber enim ille incipit, ut superius notavi; noster vero praefens: *Et factum est in nono anno, postquam uera uiso ueras uisiones, in quibus per decennium insudaue-ram &c.* Mox tempus scriptionis indicatur: *in sexagesimo primo etatis mee anno qui est millesimus centesimus quinquagesimus octauus dominice incarnationis annus sub pressura apostolice sedis regnante friderico romanorum imperatore.* Longe igitur posterior est Libro *Sciuias* Liber hic *Vitae meritum*, licet referendis et exponendis Visionibus occupetur, ut ille.

Fol. 211. Incipiunt Capitula libri diuinorum operum. Hic Liber tribus Partibus constat, quae in *Visiones* et *Capita* distribuuntur. Initium Partis I. cum Titulo est ejus modi: *Incipit liber diuinorum operum per simplicem hominem a uiuente luce prolatus. Et factum est in sexto anno postquam mirabiles uerasque uisiones, in quibus per quinquennium laboraueram &c.* Paulo post notatur tempus: *in millesimo centesimo sexagesimo tercio dominice incarnationis anno pressura apostolice sedis nondum sopita. sub friderico romane dignitatis imperatore, et Hildegardis aetas: cum sexaginta quinque annorum essem.* Partibus singulis adcurati *Capitum* Elenchi praemissi sunt; *tertia* tamen continuo adscribuntur *Capita ἀνεπίγραφα* 11. a fol. 329. quorum nulla in Elencho mentio, quaeque ideo Extravagantia dicas. Opus istud, uti praecedens, nunquam prelo subjectum

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

fuit; memoratur uero ab *Alberico* in *Chronico* ad an. 1153. et 1163. et a *Matthaeo Westmonast.* ad an. 1292. item a *Trithe-mio* n. 405. male autem a *Fabricio* in *Bibl. med. Lat.* supracit. cum Libro *Sciuias* confunditur. Argumentum idem est cum praecedentibus; plura tamen de rebus physicis immiscentur. Prolixius ejus Specimen inferuit *Mansius Bibl. Fabricii med. Lat. T. III. edit. Patav. p. 263.*

Fol. 341. Incipit prologus in uitam sancte hildegardis uirginis. Initium: *Dominis uenerabilibus ludewico et godefrido abbatibus Theodericus humilis seruorum dei seruus &c.* Tribus haec Vita constat Partibus cum suis Elenchis Capitum, scripta a *Theodorico* Monacho, vel Abbate O. S. B. et edita post *Hildegardis Epistolas Colon. 1566. 4.* inde a *Surio* ad XVII. *Sept.* et a *Bollandianis* T. V. *Sept. p. 679.*

Fol. 358. absque titulo *Epistolae Hildegardis* et Aliorum mutuae numero CCLXXXIII. *Vitis SS. Roberti et Dysibodi* pariter comprehensis, itaque multo plures, quam aut *Just. Blancvultus Coloniae 1566. 4.* edidit, aut *Codices* illi exhibent, quos Volumine superiori recensui. Et ordo quidem usque ad *Epistolam 79.* idem est, qui in Edit. mox dicta, initio ducto ab *Eugenii III.* ad *Hildegardem* *Epistola*; deinceps uero *diversus*, desinens in *Vitam S. Dysibodi.* Ex hoc tamen, et ante memoratis *Bibliothecae Palat.*

Qq

Codi-

Codicibus in subsidium vocatis completissimum Exemplar *Litterarum Hildegard* confieri posse, nullus dubito.

Fol. 468. Expositio euangeliorum per hildegardem exposita. Piam Virginem Evangelia exposuisse, et Homilias scripsisse tradunt *Theodoricus in Vita suprac. L. II. c. 1. Matthaeus Westmonast. ad an. 1292. Trithemius n. 405.* qui et initium earum tradit: *Homo quidam qui hominem creavit &c.* Atque ita nobis quoque ordiuntur, et eodem numero sunt, videlicet LVIII. Aliae longiores, aliae breves sunt; methodus interpretandi mystica, nullus certus ordo; Expositio enim 1. et 2. est in *Luc. C. XVI. 3. et 4. in Job. C. VI. 5.* cum pluribus sequentibus in *Matth. C. I. &c.* Duae ult. in *Luc. C. XIX.* Atque hae *Expositiones* lucem, quod sciam, nunquam adspexere. *Valde obscuras*

vocat Trithemius in *Catal. illustr. Viror. germ. p. 20. et nisi deuotus et eruditus intelligibiles*; mihi vero nil prae ceteris *Hildegardis* Scriptis habere visae sunt.

Fol. 499. Ignota lingua per simplicem hominem hildegarden prolata. L. II. Vitae suprac. c. 1. de ea legitur: *litteras non prius visas, cum lingua edidit antea inaudita*, ipsaque Virgo *L. I. Vitae Meritorum c. 1.* testatur: a vera Visione ad explanandum ostensas sibi esse *ignotam linguam et litteras.* Utrumque habes in rarissimo hoc Codice, et primum quidem *linguam*, Nomina nempe substantiva millenis plura Rerum diuinarum et humanarum, Partium corporis, Aedium, Vestimentorum, Officiorum, Artium, Temporis, Utensilium, Plantarum et Animalium inaudita supraposito singulis significatu latino vel theotisco. Ita initium:

Deus.	Angelus.	Sanctus.	Saluator.	Dyabolus.	Spiritus.
<i>Aigonz.</i>	<i>Aieganz.</i>	<i>Zuuenz.</i>	<i>Juonz.</i>	<i>Diueltz.</i>	<i>Ispariz.</i>
Homo.	Vir.	Femina.	Patriarcha.	Propheta.	Vates.
<i>Inimois.</i>	<i>Jur.</i>	<i>Vanix.</i>	<i>Peuearrez.</i>	<i>Korzintbio.</i>	<i>Falschim. &c.</i>

Adscribam et Mensum Nomina. *Januarius. Zivariz. Februarius. Scantido. Martius. Omischo. Aprilis. Annizo. Majus. Twiszintbio. Junius. Archindolis. Julius. Zigionz. Augustus. Gargischol. September. Scandidos. Otober. Oscilanz. November. Holischa. December. Denizimo.* De aliis Partibus orationis, puta Adiectivis, Verbis &c. nihil. Non ita-

que *νεολογίαν* hanc ad enuntiandos integros conceptus suos adhibuisse videtur *Hildegardis*, siquidem illius hoc sit inventum, sed tantum linguae teutonicae, quam solum callebat, ut ex ejus *Vita* colligitur, Vocabula sua miscuisse, quae dein *Gotfridus* Confessor et Capellanus, ejus qui simul ei a latinis literis erat, in scripta retulerit. *Linguam* excipiunt in Codice

1729

ASCETICI.

1730

Codice Characteres, five *Alphabetum Hildegardinum*, quod, cum fortassis Codices eo exarati alii cubi extent, hic aeri incisum exhibere Lectori iuvat.



Fol. demum 503. comparet *coelestis illa Harmonia*, cujus meminit *Matthaeus Westmonast.* ad an. 1292. edit. ut semel dicam, *Francof. 1601. p. 417. f.* et de qua in *Vita Hildeg. L. II. c. 1.* legas: *Quis vero non miretur, quod cantum dulcissimae melodiae mirabili protulit symphonia.* Constat vero illa primum *Antiphonis de Deo, de S. Maria, de Angelis, de Patriarchis et Prophetis, de Apostolis, de S. Johanne Evang. de Martyribus, de Confessoribus, de S. Dyfibodo, de S. Ruperto, de Virginibus, de XI. Millibus Virginum, in Dedicatione Ecclesiae, dein Hymnis et Sequentiis de S. Spiritu, de S. Maria, de S. Mathia, de S. Bonifacio, de S. Dyfibodo, de S. Euchario, de S. Ruperto, de XI. Mill. Virginum, tandem Virginum Symphonia, et Dramatio musico, quod inscribitur: Incipit ordo uirtutum, et citatur a*

Trithemio n. 405. titulo Carmina diuersa. Omnia haec notis musicis Schemate 4. linearum comprehensis instructa sunt, modulis ipsis ab Antistita nostra, ut videtur, una cum Textu dictatis. Ut Textus specimen edam, en primam Antiphonam. *O uis eternitatis que omnia ordinasti in corde tuo. Per uerbum tuum omnia creata sunt sicut uoluisti, et ipsum uerbum tuum induit carnem in formatione illa que educa est de adam, et sic indumenta ipsius a maximo dolore absterfa sunt. O quam magna est benignitas saluatoris qui omnia liberauit per incarnationem suam quam diuinitas expirauit sine uinculo peccati. Et sic Gloria patri et filio et spiritui sancto. Et sic.* In Dramatio partes suas habent chorus *Virtutum, Patriarchae et Prophetae, Animae in carne positae, Anima felix, Scientia Dei, Humilitas, Charitas, Timor Dei,*

Qq 2

Obe-

1731

C O D I C E S

1732

Obedientia, aliaque Virtutes, *Victoria*, et ipse *Diabolus*, cujus tamen effata, ne inter strepat anfer olores, notis musicis carent. Scenam aperiunt Patriarchae et Prophetæ: *Qui sunt hij qui ut nubes?* Reponunt Virtutes: *O antiqui sancti! quid admiramini in nobis? Verbum dei clarescit in forma hominis, et ideo fulgemus cum illo, &c.* Ut etiam Diabolum audiamus, ita ille: *Fatue, fatue! quid prodest tibi laborare. Respice mundum et amplectetur te magno honore.* Totum terminatur Choro Virtutum ad hunc modum: *Ergo nunc omnes homines genua vestra ad patrem vestrum flectite, ut vobis manum suam porrigat.* En itaque Partum Seculi XII. quem non injuria *πρόδοξον* ejus Spectaculi dicas, quod deinceps Theatris illatum est nomine *Mystere, Moralité, Opera, Oratorio* &c. Illud addam, falsos fuisse *Belgas Hagiographos*, dum T. V. *Sept.* in *Comment. praevio* ad *Acta S. Hildegardis* p. 674. putabant, Harmoniae coelestis cantui voces ignotae linguae additas fuisse. Induxerat eos locus ille *Vitae* L. II. c. 1. *cantum dulcissimae melodiae mirabili protulit symphonia, et literas non prius visas cum lingua edidit antea inaudita.* Aliud docet Codex noster, cui simile nihil viderant, certe inter *Hildegardinos* ampliffimos et rariffimos censendus, et, si etiam mystica abnuas, non pauca ad aevi illius mores, historiamque subpeditans.

DCCXXII.

Codex chartaceus ital. Sec. R. 43
XIV. Folior. 287. 4. currente calamo perscriptus, et a. 1721. oblatum Bibliothecae a F. *Thoma M. Alfano* O. P. de quo alibi, continet *Epistolas* CC. ad Varios datas a D. *Catharina Senensi* Virgine O. P. a. 1380. vivis exempta, et a *Pio* II. P. M. inter *Coeclites* a. 1461. relata, cujus pietatem haec spirant *Epistolae* non multo tempore ab ejus obitu congestae. Collectae sunt deinceps plures ita, ut editio prima *Aldina Venet.* 1500. splendidissima f. contineat CCCLXVIII. quibus in *Senensi* Opp. omn. *Catharinae* edit. ab a. 1707. 4. accesserunt ineditae XXIII. Ordo porro dignitatis aut conditionis personarum in Editis observatus in Codice nostro nullus est; *Epistola* enim I. dirigitur *A fratre Guiglelmo dingbilterra de fratri heremiti di sancto agustino*, quae est in edit. *Aldina* C. XXXV. A fol. 272. accedunt *Precaationes* quaedam Virginis ad Deum adnotatae, ut praeferunt, ab ejus conscientiae arbitro F. *Raymundo de Capua*, qui et Vitam ejus conscripsit singillatim, jam a *Surio*, *Bollandistis*que vulgatam ad diem 29. et 30. *Aprilis*, multa item pia *Monita* ab illa data, et felix illius *Transitus*, Visioque *Matronae* cujusdam *Romanae* in eo *Transitu*; et ultima quidem haec sermone latino. Terminat Codicem *Epistolarum* Index.

DCCXXIII.